



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 10. Oblatio sacrificii quatenus est propitiatorium

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

sima sacerdotii dignitate, ad quam me prorsus immer-  
tem evexisti : & pro multis præclarissimis donis naturæ  
& gratiæ, quæ mihi singulariter contulisti. Quod mihi  
tot media ad salutem, totque virtutis instrumenta sup-  
peditaveris, quod toties me custodieris ne peccarem, occa-  
siones subtrahens, & pravas sanans affectiones : quod  
cum aliquando me tentari permisisti, vim tamen & forti-  
tudinem resistendi misericorditer tribuere dignatus sis  
præveniens me in miserationibus tuis. Quod victum &  
vestitum, & alia necessaria ad decentiam status mihi co-  
piosè præbueris : quodque omnia propter me regere &  
conservare non desinas. Quod ut validius me traheres ad  
te aliquot mihi corporales ægritudines, angustias animi,  
& adversitates immisisti, ac mirabili vicissitudine conso-  
lationum & desolationum erudiens me, ne in prosperis  
extollar, aut in adversis deficiam. Quod per viam man-  
datorum tuorum deduxeris me, dans scire, velle, & ope-  
rari quod bonum est ; ut per bona opera certam faciens,  
te adjuvante, vocationem meam ; præparata electis tuis  
gloria perfruar in eternum. Hæc & alia multa fecisti mihi  
Domine Deus meus, vita & dulcedo animæ meæ, de  
quibus optabile mihi foret semper loqui, semper cogita-  
re, semper tibi gratias agere : sed imperfectum meum vi-  
derunt oculi tui. Quis enim ego sum filius iræ, & aby-  
sus tenebrosa, ut tantis beneficiis par esse possim ? Cali-  
cem igitur salutaris accipiam, & hoc tibi sacrificium pro  
me & omnibus immolabo, ut de perceptis hac dignissima  
viictima gratias exhibentes beneficia potiora sumamus.  
Amen.

§. X. *Ob'atio sacrificii quatenus est propitiatorium.*

**P**rocido coram te, Domine, cum tremore & rubore  
gravissima onus flagitorum meorum sarcina : nec  
mea solum, sed & totius populi peccata coram te porto,  
quia me pro omnibus legatione fungi jussisti, ut quod illi  
pro se non possint, ipse tanquam mediator merear im-

petrare. Sed qua fiducia pro culpis alienis intercessor  
 veniam servus nequissimus innumerabilium scelerum  
 reus, qui pro tot beneficiis à te suscepis gravissimas tibi  
 injurias offensas retribui, bonitatem tuam contemnens,  
 & justitiam vilipendens? Iniquitates meæ diviserunt inter  
 me & te, & peccata mea absconderunt faciem tuam ne  
 exaudiens. Verumtamen ecce revertor ad te dolens &  
 mœrens quod offenderim te: & quia nullum extat pre-  
 tium, quo infinitæ bonitati tuæ offensæ condigne satis-  
 facere valeamus, nisi pretium Sanguinis dilectissimi Filii  
 tui Domini nostri Jesu Christi, ipsum tibi offero hostiam  
 placationis sufficientissimam pro meis ac totius mundi  
 peccatis, ut mihi & N. N. atque omnibus peccatoribus  
 veram contritionem concedas, meque & illos à reatu  
 pœnarum misericorditer absolvas, per acerbissimam pas-  
 sionem & mortem ejusdem Filii tui, quem semel in cruce  
 oblatum nunc denuo offero. Ibi enim invenio meritorum  
 ejus mare magnum & spatiolum, quo demergantur om-  
 nnia peccata nostra: ibi infinitum satisfactionū thesaurum,  
 quo omnia debita nostra remissione obtenta expungan-  
 tur. Esto itaque placabilis super multitudinem iniquitatum  
 nostrarum, & audi Sanguinem Filii tui clamantem ad te  
 non vindictam, sed veniam & misericordiam. Attende  
 Domine, & ignosce dolentibus & pœnitentibus. Da  
 gratiam emendationis, & in bono perseverantiam, &  
 cantabimus laudes tuas in saecula saeculorum. Amen.

**§. XI. Oblatio sacrificii quatenus est imperatorium.**

**Q**uia ineffabili tua pietate & misericordia me indi-  
 gnissimum famulum tuum legatione fungi apud te  
 voluisti pro omnibus hominibus vivis & defunctis; offre  
 ro tibi clementissime Pater, hoc tremendum sacrificium,  
 quod vim imperatoriam infinitam habet, pro singulorum  
 necessitatibus & indigentias, ut per passionem & mortem  
 Jesu Christi Salvatoris nostri eorum voces & singultus mi-  
 sericorditer audire, & partem aliquam auxilii tui singulis  
 largiri